


De mundi potestate

1525.





I



87 Le 645  
an. 4548

3.

# DE SVBLI-

MIORE MVNDI POTE-  
STATE, M. LVTHE-  
RI LIBER.

Donatus Latinitate à Iohan-  
ne Lonicero.

ANNO. M. D. XXV.

52

19 133 1288

80 Jb 3772





# ILLVSTRIS

SIMO, MAIORVM QVESTEM  
 matis clarissimo Principi, ac Domino,  
 Domino Iohanni, Saxoniae duci, Du  
 ringiae praesidi, Mysnaeq; Mar  
 chioni, domino suo cle  
 mentissimo,  
 Martinus Luther.



RATIAM  
 & pacem. Cogit  
 me denuo, illu  
 strissime Prin  
 ceps, clementissi  
 me domine, cum  
 necessitas, tu mul  
 torum efflagita  
 tio, praesertim ue  
 ro tuae clementiae  
 uehemens desyde  
 rium, literis mandare quidquam, de sublimiore mundi po  
 testate, huiusq; gladio, qua nam ratione Christiane su u  
 tendum



tendum, & quatenus illi obtemperandum sit. Nam qui me, ut de hac re scribam, impellunt, auctoritatibus permouentur Christi. Matthæi 5. Ne resistas malo, sed consentias aduersario tuo. Et diripienti tunicam, pallium quoque relinquant, Et Rom. 12. Mihi uindictam, dicit Dominus, ego rependam. Quos locos & Princeps quondam Volusianus Augustino obijciens, Christianam impetebat doctrinam, ceu eam, quæ malis occasionem peccandi præbeat, & nihilum cum gladio Magistratus perdurare queat. Huc & uniuersitatum Sophistæ uulgo impegerunt. Quom enim utrunque coadunare non possent, ne ex Principibus omnino Ethnicos, nescio quos, constituerent, hæc non præcepisse, perfectis uero consuluisse tantum, docuere Christum. Adeo mendacem oportuit fieri Christum, ut suo sibi honore persisterent Principes. Neq; enim istos euehere poterant, ni Christum dicerent, cæci, erumnosiq; Sophistæ. Quorum & uirulentus error eorūque irrupit, ut nemo non hanc Christi doctrinam, pro consilijs perfectorum, nec pro necessarijs uniuersis Christianis habeat præceptis, donec eò progressum sit, ut & perfecto Episcoporum, imò perfectissimo scilicet omnium Papæ statui, non modo hunc imperfectum gladij statum, mundanūque Magistratum tribuerint, cæterum nulli in terris, ut huic, itidem addixerint. Adeo prorsum Sophistas & Academias obtinuit sibi Satanas, ut non animaduertant ipsi, quid quomodo loquantur aut doceant.

A 2 Atqui

Atqui me ita Principes eruditurum spero, ut iidem  
Christiani, CHRISTVS uero, Dominus, per  
manere debeant: ac iuxta tamen CHRISTO  
non opus sit sua præcepta eorum causa in  
consilia permutare. Hoc ipsum ue-  
ro C. T. in obsequium sup-  
plex, cuilibet huius e-  
genti in cõmo-  
dũ, Chri-  
sto uero Domi-  
no nostro in laudẽ &  
preconiũ, expediam. Hisce  
T. C. cum uniuerſa eius sanguinis ui-  
cinia gratiæ cõmendo Dei, qui hanc miseri-  
corditer tueatur in eum. Amen. Vuittembergæ,  
M. D. XXIII. Circuncisionis CHRISTI.

T. C. Subditus  
Mar. Luther.



# DE SVBLI-

MIORI MVNDI POTESTA=  
TE QVATENVVS EI OB=  
TEMPERANDVM SIT,  
M. LVTHERI LIBER.



VID NAM  
Christiani ope=  
ris et officij, ad  
Germanie Pro=  
ceres, Nobiles=  
ue attineat, uel  
edito in hanc rē  
libello, iam o=  
lim, satis, ni fal=  
lor, cōmonstra=  
ui. At qui sese  
inde gesserint,

satis etiam in propatulo est. Quare danda est etiamnum  
opera, scribendumq; mihi, quid & omittere negligereque  
eos, tum decorum, tum Christianum sit, sperans fore, ut æ=  
que secundum hæc uitam suam instituunt, atq; secundum  
illa, ut a deo principes permaneant, & nunquam Christi=  
A 3 an

ijdem  
is, per  
o

STI

ditus  
luther.



M. LVTH. DE SVBLIMIORE

ani fiant. Nam tam insanos Deus optimus Principes reddidit, ut non secus arbitrentur, quam se quiduis pro arbitrio subditis suis imperare posse. Subditi quoque errantes credant se omnibus istis obtemperare debere, ut adeo nunc, si Christo placet, coeperint mandare hominibus, ut à sese liberos abdant: credant & sentiant, quod ij præscripserint, quo tandem & temere incipiunt in Dei thronum collocare se, fidem corrigere, proq; insano suo cerebro spiritum erudire diuinum. Dispersis in uulgis chartis, Cæsaris aedictum causantur, seq; Christianos ac obtemperantes esse principes uelle. Quasi uero ex animo id facerent, nec sua sibi nequitia, post aureis delitescens non obseruaretur. Si enim Cæsar uel arcem uel ciuitatem eripet eis, aut alioqui quidpiam iniqui præciperet, ibi demum egregie obedientia eorum in lucem proditura esset, mirifice enim, quicquam statim, quo Cæsari contrauenirent, offenderet. Nunc uero, simul atque deprædari, & deglubere plebem eis in animo sedeat, suamq; impietatem in uerbi Dei persecutione complere gaudeant, Cæsaris id ipsum aedicto morigerari necesse est. Hoc genus homines quondam nebulones uocabantur, hodie uero Christianos & obtemperantes adpellari, timerique Principes oportet: neque tamen cuiquam siue responsionem, siue defensionem admittunt, quantumuis etiam exhibenti sese, quom haudquam illis ferendum esset, si uel Cæsar, uel aliàs quispiam, cum eis in hunc modum ageret. Hi sunt hodie Principes, qui Cæsaris in Germania partes exequentur, unde tam salubriter



salubriter undique res progrediuntur, ut ipsi uideamus.

Quia ergo stultorum huiusmodi furor, ad Christianæ fidei declinat extinctionem, uerbi Dei abnegationem, atq; diuinæ maiestatis blasphemiam, nec uolo, nec possum, indignabundis, parumq; propitijs Dominis meis diutius agere spectatorem, cogorq; uel uerbo saltem repugnare istis. Quod si Idolum eorum Papam, qui tamen & animum & cælum auferre mihi interminatus est, nihil formidarem, cogor etiam ostendere squamas eius & bullas, & nihil timeam, quæ mihi & corpus & terram adimere minitantur. Faxit deus, ut interea usque irasci eos oporteat, usquedum ceruleæ intereant uestes, nosq; iuuet, præ eorum minis ne intermoriatur. Amen.

Principio, mundanum ius atque gladius bene fundanda sunt, ne quisquam hæsitet, è Dei uoluntate ordinatione ue hæcesse. Loci stabilientes gladium sunt ij, Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à DEO. Existentes enim potestates à DEO ordinate sunt, itaq; resistens potestati, Dei ordinationi resistit, resistentes autem sibiipsis iudicium accipient. Item. 1. Petri. 2. Subditi estote omni humane conditioni propter Dominum, siue Regi, tanquam excellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis, in ultionem maleficorum, laudem uero beneficorum.

Eiusdem gladij ius à condito primum mundo fuit. Nam posteaquam fratrem suum Habelum interfecisset Cains, adeo timuit, ne rursum ipse daretur neci, ut sigilla-

latim inhibitionem posuerit Deus, & gladium eius nomine sustulerit. Quo certe pauore non obrutus fuisset Caynus, ni uidisset ab Adamo, audiuissetq; demittendos esse orco homicidas. Ad hæc Deus post diluuium expressis uerbis instituit stabiliuitq; denuo Gen. 9. quom inquit: Qui sanguinem humanum effuderit, illius rursus sanguis ab hominibus effundatur. Quod non ueluti de plaga, uel correptione Dei aduersum latrones intelligi potest, quandoquidem non parum multi uel pœnitentia uel fauore superstites manent, & absque gladio moriuntur. Ceterum de iure gladij dictum est, nempe quòd homicida mortis reus sit, debeatq; iure gladio interfici. Porro si ius impeditum, gladiusue neglectus fuerit, ut naturali morte intereat, non ideo scriptura, non uera est, dicens: Qui humanum sanguinem effuderit, illius sanguis rursus ab hominibus effundatur. Siquidem culpa est mortalium, aut demeritum, quòd ius à Deo institutum non perficiatur, quemadmodum & alia diuina soluuntur præcepta.

Deinde & per legem Mosi confirmatus est gladius, Exodi. 21. Siquis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo auelles eum, ut moriatur. Et ibidem rursus: Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede, manum pro manu, uulnus pro uulnere, liuorem pro liuore. Præterea & Christus confirmauit, cum in horto diceret Petro: Qui gladium acceperint, gladio peribunt. Qui locus æque intelligendus est, atq; ille Gen. 9. Qui sanguinem  
humanum

humanum effuderit &c. haudq; dubie Christus hoc uerbo eo respicit, eamq; auctoritatem hic simul inductam roboratamq; uult. Idem Iohannes Baptista docet. Interrogantibus cum militibus, quid illis faciundum, Nemini, inquit, iniuriam feceritis, contenti stipendijs uestris. Si gladius nō esset, diuinus status, iubere debebat, ut absisterent, quandoquidē uulgus perfectum reddere, ac uere Christianeque instruere debebat: ut adeo satis certum ac perspicuum sit, uoluntatem esse Dei, quæ ius gladiumq; mundi administret, in poenam malorum, protectionem uero bonorū.

Aduersus hæc potenter sonat, quod Christus apud Mattheum cap. 5. ait: Audistis quod dictum est antiquis: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico uobis, Non resistendum esse malo. Sed qui te ceciderit ad dexteram tuam maxillam, obuerte ei & alteram. Et uolenti tecum litigare, & tunicam tuam accipere, dimitte illi & pallium. Et qui te adgerit miliare unum, uade cum eo duo. Item Paulus Rom. 12. Non uosmetipsos ulciscentes dilecti, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi ultio, ego rependam dicit Dominus. Et Matth. 5. Diligite inimicos uestros, benefacite ijs qui oderunt uos. Et. 1. Pet. 3. Non reddentes malū pro malo, aut conuitium pro conuitio &c. Hi, horumq; similes loci fortiter planè sonant, quasi Christiani in Nouo Testamento expertes esse gladij debeant. Vnde Sophistæ quoq; garriunt hisce Christum Mosæ legem abrogasse, eque talibus præceptis consilia pro perfectis constituunt, Christianam doctrinam & statum in duo

A 5 partientes,

M. LVTH. DE SVBLIMIORE

partientes, alterum p̄fectum nomināt, cui et hoc genus con-  
silia adiudicant: alterum imp̄fectum, cui p̄cepta attribu-  
unt, idq; ex pura sua temeritate audaciq; uoluntate faciūt,  
absq; omni scripturæ fundamento. Neque uident, q, Chri-  
stus eo loci suam doctrinam tam seuerè p̄cipiat, ut ne mi-  
nimum quidem illius uelit solutum: eos p̄terea Gehennæ  
dedat, qui suos non dilexerint inimicos. Quare ad hæc no-  
bis aliter loquendum uenit, ut Christi uerba cuilibet cōmu-  
nia relinquantur, siue p̄fecta siue imp̄fecta. Nam ne-  
que p̄fectio, neq; imp̄fectio in operibus consistit, neq;  
singularem quempiam inter Christianos externum statum  
efficit, sed in corde existit in fide atq; charitate, ut credens  
& diligens p̄fectus sit, siue in speciem masculus aut fœ-  
mina, Princeps aut rusticus, monachus aut plebeius fuerit.  
Fides enim & charitas nullam neque Sectam, neque discrimen  
externum conficiunt.

Hic tum Adæ, tum omnium hominum liberi, in  
duas parteis segregandi sunt: priores ad Regnum Dei,  
posteriores ad Regnum mundi. Qui ad Regnum Dei  
pertinent, omnes sunt uere credentes in Christo, & sub  
Christo, quoniam & Rex & Dominus est in Regno Dei  
Christus, ut Psalm. 2. ait, totaq; Scriptura. Ideo enim &  
in mundum demissus est, ut Dei Regnum in mundo in-  
choaret, erigeretq;. Hinc & coram Pilato, Regnum, in-  
quit, meum non est de mundo, sed qui ex ueritate est, uo-  
cem meam audit. Adde q, perpetuò in Euangelio Regnum  
Dei citans, dicat: Resipiscite, app̄pinquauit Regnum Dei,

Item

Item  
Euang  
regna  
Po  
si totu  
princ  
hæc?  
diat f  
sequa  
mort  
solaq  
na, g  
quit,  
peria  
stian  
quen  
posit  
C  
omn  
unde  
bene  
iure  
tum  
suo  
pom  
ut ne  
natu

Item quærite primum regnum Dei & iustitiam eius. Euangelion deniq; regni Dei Euangelion uocat, quod regnum Dei doceat, gubernet atq; conseruet.

Porro tales nõ egent potestatis gladio aut iure. Quod si totus orbis Christo uere crederet, nõ erat opus quoquã principe, Rege, domino, iure. Ad quid enim prodesſent hæc? dum spiritum sanctum sub pectore gestent, qui erudit faciatq; ne cuiquam noceant, quemuis amore prosequantur, à quolibet libenter & alacriter iniuriam uel mortẽ sufferãt. Vbi pura ex iniuria et grata adſlictio est, solaq; perfectio boni, ibi cõtentione, lite, foro, iudice, pœna, gladio tandem nihil opus est. Quamobrem fieri nequit, ut inter Christianos, ius & gladius, quod agant, reperiant, quãdoquidem à seipsis multo plura faciant Christiani quàm uniuersa iura & doctrinæ postcere queant, quemadmodum Paulus. 1. Tim. 1. iusto, inquit, non est lex posita, sed iniustis.

Quor ita? Quod iustus maiora ex se faciat ipse, quã omnia deſcant iura. Iniusti uero nihil boni peragant, unde & iure indigent, quod doceat eos, cogat, urgeat ad benefaciendum. Bona arbor nulla neque doctrina neque iure indiget, ut bonos fructus proferat, natura enim insitum est illi, ut absque omni tum iure tum doctrina, pro suo more ferat. Nam ille planè mihi ridiculus foret, qui pomiferæ arbori legum, iurisq; librum, plenũ conderet, ut non spinas, sed poma producat, cum hoc ipsum suapte natura perficiat melius longe, quàm ullis ille præcipere queat

M. L V T H. D E S V B L I M I O R E

queat præscribere uel libris. Hoc pacto omnes in uniuersum Christiani, per spiritum & fidem hanc sibi inditam usquequaque naturam habent, ut bene iusteq; plus faciant, quàm omnibus doceri queat legibus, neq; quicquã, siue legibus, siue curæ indigent. Dices itaq;. Quid ergo cunctis mortalibus tot leges tulit Deus, præterea in Euangelio tot seruandas præcepit? De quare alias in Postilla (quam uocãt) et alibi permulta scripsi. Iam uero (ut breuissime expediam) Paulus inquit: Legem iniustorum causa latam. Hoc est, ut ij qui Christiani non sunt per legem externe à malis operibus arceantur, id quod posthac audiemus. Porro, quum nemo hominum Christianus aut bonus, sed omnes peccatores maliq; sint natura, omnibus per legem uetat Deus, ut palam & externe non audeant pro uotis, suam perpetrare malitiam. Ad hæc, alterum legi diuus Paulus offitium tribuit. Roma. 7. Gal. 2. nempe ut cognitionem peccati doceat, qua hominem ad gratiam fidemq; Christi deicit. Idem Christus Matthæi. 5. agit, ubi præcipit non resistendum malo, quo legem interpretatur ac declarat, docetq; qualem debeat gerere in pectore formam uerus Christianus, ut porro audiemus.

IIII

Ad mundi regnum, aut sub legem pertinet, quicumq; Christiani non sunt. Postquam enim pauci admodum credunt, minimaq; pars pro Christiano se modo gerit, ut nõ repugnet malo, imò, ut ne ipsa malum committat, extra Christianum statum, extraq; regnum Christi aliam existis malis gubernationem ordinauit Deus, eosq; gladio reddidit

reddidit  
malicia  
tamen  
sam for  
domita  
stringe  
si mau  
hil bu  
noxia  
uniuer  
offend  
ratur  
neq; se  
stus de  
nistrat  
Christ  
homin  
Christ  
quieto  
13. Po  
operib  
esse co  
Q  
dum a  
toller  
stiano  
diuim

## MUNDI POTESTATE. 7

reddidit obnoxios, ut etiam si malint quidem, non tamen maliciam perpetrare queant suam. Et si perpetrent, non tamen citra timorem, citra inquietudinem, citraq; aduersam fortunam perpetrare queant, quemadmodum & indomita ac ferox quæpiam bestia, cathenis, uinculisq; constringitur, ne mordeat atq; pro suo ingenio sæuiat, tamen si mauelit quidem quum e contra domita cicutq; bestia, nihil huius indigeat, cæterum absq; cathenis & uinculis innoxia sit. Quod ni ita ordinasset Deus (quando quidem uniuersus mūdus nequam est, uixq; inter mille unum est offendere, qui uere Christianum agat) alius alium deuo raturus erat, ut nemo neq; liberos neq; uxorem educare neq; se alere, neq; Deo seruire posset, unde tandem uastus desertusq; redderetur orbis. Quare geminam admi nistrationem instituit ordinauitq; Deus. Spirituale, quæ Christianos ac iustos per spiritum sanctum sub Christo homines constitueret. Mundanam aut sæcularem, quæ nō Christianos noxiosq; cohiberet, ut pacem eos seruare, ac quietos esse, uel inuitos oporteat. Hac ratione Pau. Rom. 13. Potestatis mundi gladium, nō bonis, at uero malis ait, operibus formidandum, atq; in malorum pœnam datum esse confirmat.

Quod si cuiquam, iuxta Euangelion gubernare mun dum animus sit, omniaq; mundi iura & gladium e medio tollere, ac præ se ferre omnibus esse baptisatos & Chri stianos, inter quos Euangelion neq; ius ullum, neq; gla dium habere uelit, nec enim necessarium sit, quid obsecro  
ille

M. LVTH. DE SVBLIMIORE

ille tandē facturus esset? Efferis noxijsq; bestijs uincula et cathenas solueret, ut quēuis morderēt ac dilaniarent, præ se ferens iuxta eas esse domitas, & cicures bestiolas. Id uero in uulneribus meis belle persentiscerem. Sic & mali sub Christi nomine, Euangelica libertate abusuri essent, suam patraturi nequitiam, dicturiq; se Christianos esse, nulli siue legi, siue gladio subiectos, quemadmodum etiamnum aliquot insaniunt, contabescuntq;.

Talibus dicendum erat. Certe profecto uerum est. Christianos propter sese nulli seu iuri seu gladio subiectos esse, neq; quicquam indigere illis. Atqui circumspice primum, & plenum uerorum Christianorum, exhibe mundum, priusquam secundum Christum & Euangelion ipsius gubernes eos. Id uero præstabis cū mulæ, quod aiūt, pepererint. Mundus enim & multitudo extra Christum perseverat, etiamsi omnes lauachro regenerationis abluti sint, ac Christiani uocentur. Christiani item, ut fertur, omnino longe abinuicem distant, quocirca fieri non potest, ut Christianum Regimen uniuerso commune fiat orbi, imò nec regioni, aut copię multæ. Omnino enim bonos exuperant numero mali. Quare totam prouinciam aliquam orbemue Euangelio gubernare uelle, perinde est, ac si pastor ijsdem clauderet mandris, lupos, leones, halietos, oues, hæcq; libere inter sese diuagari permitteret, dicens: Carpite pascua, ac mutuam conseruate inter uos pacem, patens adest stabulum, sat hæ-

betis



betis pascuæ, neq; canes, neq; iudex timere uobis opus est. Hic mites quidem agnæ belle pacem seruaturæ essent, se q; placide tum pasci tum regi passuræ, uerum enim uero non diu super futuræ essent, neq; alterum præ altero animantium, uitali aura uesci posset.

De industria igitur utraq; administratio separanda est. Altera quæ bonos efficiat, Altera quæ externam curet pacem, maloq; operi conatum intercludat, ita quod neutrum absq; altero satis sit in orbe. Spirituali enim Christi regimine amoto, nemo per mundanum unquam coram Deo fieri bonus potest. Præterea Christi Regimen non omnibus homines contingit, perpetuo uero Christianorum minima pars est, in medio impiorum constituta. Quod si externa mundi potestas, aut lex solum teneret sceptrum, meram oportet esse adulationem, etiamsi dei ipsius præcepta forent. Nam præter spiritum in corde sanctum, nemo uere bonus fit, quantumuis spetiosa opera perficiat. Sin spiritus Regimen, tum prouincias, tum homines gubernaret, ibi uero nequitiæ, ad omne malum, solueretur frenum, quãdoquidem cõmunis mundus, neq; suscipere neq; intelligere possit.

Proinde iam nunc uides, quo Christi uerba supra memorata respiciant Matth. 5. Quod Christiani neq; ius, neque gladium inter sese habere debeant. Proprie enim longe dilectissimis sibi Christianis hoc dicit, qui soli suscipiunt, opereq; iuxta exequuntur, nec inde, uerba duntaxat, Sophistarum more, faciunt. Cæterum ea in corde per  
spiritum

M. LVTH. DE SVBLIMIORE

Spiritus domini natura induti sunt, ut nemini malum inferant, illatum uero à quouis haud iniquo animo ferant. Iam si uniuersus orbis Christianus esset, ad omnes ex equo omnia hæc uerba attinerēt, & ad hæc uitam instituerent suam. Simulat q̄; uero Christiani non sunt, nihil ad eos seu uerba, seu quæ ex uerbis sequi debebat uita. Vnde aliud ij Regimen concernunt, sub quo mali externe coguntur & impelluntur ad bonū ciuilem q̄; pacem.

Quapropter neque Christus gladio usus est, neque in suo regno hunc instituit. Regem enim Christianorum agit, citra q̄; legem solo spiritu suo sancto regnat. Et quāuis gladium corroborarit, nec eo tamen usus est, quom nullus sit huius in suo regno usus, in quo boni modo existunt. Hinc Dauidem à templi structura uacare quondā oportebat, quia multum sanguinis fuderat, gladio q̄; usus fuerat. Non quod ideo perperam egisset, cæterum, quod Christi non poterat esse typus, quon absq; gladio placidum & pacificum debebat esse regnum. Seligebatur autem ad hoc operis diuinitus, Solomo, qui uulgo Fridrich, id est, pacificus sonat, qui pacifico fruere regno quo uere pacificum Christi regnum, genuini Fridrichi & Solomonis significari possit. Ad hæc in uniuerso edificio tēpli, ne unquam quidem ferrū audiebatur, inquit textus. Hoc totum ideo quod Christo absq; coactione, impulsu, lege, gladio, liber, spontaneus, uoluntarius populus esse deberet.

Idem Phropheta uolunt, psal. 119. Non occident neq;  
nocebunt

M

nocebunt  
Gladios  
tent, nec  
tam: niue  
qui tam  
nominat  
quom d  
re comp  
Si di  
gladio e  
ma. 13. c  
statibus  
omni hu  
Respon  
pro seip  
que nece  
integer  
suo uit  
id perfic  
le ac nec  
& nece  
seruetur  
sponte  
pendit t  
uat, &  
pro uir  
tremore

nocebunt super uniuerso monte sancto meo. Et Isaia. 2. Gladios suos in uomeres, lanceas autem in falces conuertent, neque quisquam in quenquam attollet gladium, certam niue studebit. Quas authoritates harumque similes qui tam longe lateque trahere uelit, quam longe lateque nominatur Christus, is omnino Scripturam peruerteret. quom de ueris solummodo Christianis, à quibus & uere complentur, dictae sint.

Si dicas iam nunc, Quom ergo Christiani, mundano gladio & iure nihil indigeant, quid est quòd Paulus Roma. 13. omnibus Christianis præcipit? Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et Petrus: Subditi estote omni humanæ conditioni, ut in superioribus recitatum est, Respondeo: iam retuli, Christianos nempe inter se, & pro seipsis, nullo iure aut gladio habere opus, quom neque necessarium, neque conducibile sit eis. At postquam integer Christianus in terris non sibi ipsi, proximo uero suo uitam ducat & seruiat, è sui spiritus natura, etiam id perficit, cuius non est indigus, proximo tamen suo utile ac necessarium existens. Quom ergo gladius, ingens & necessarium uniuerso orbi commodum sit, ut pax conseruetur, uitia puniantur, mali præpediantur, suapte sponte & perquam lubenter se gladij potestati subdit, pendit tributum, dominationes reueretur, inseruit, iuuat, & quicquid promouere Magistratum potest, hoc pro uiribus exequitur, ut is in suo uigore, honore, tremoreque conseruari possit, tametsi horum nihil, sui ipsius

B

ipsius

ipsius causa indigeat, aut necesse habeat: aliorum enim commodum respicit, id quod Paulus Ephes. 5. docet: perinde atque omnia alia charitatis opera, quibus nihilum eget, perficit, nam non ideo ægrotos inuisit, ut inde conualescat ipse: nec quenquam cibatur, quòd cibus opus ipse habeat: ita nec Magistratui ministerium exhibet, quòd eius sit indigus, sed quod alij. Hoc enim obsequij, nihil deccedit, nihil detrimenti obuenit illi, mundo uero plurimum commoditatis exoritur. Quod ni faceret, Christiani non gererent formam: ad hæc charitati aduersaretur, & alijs malo foret exemplo, qui item nollent agnoscere Magistratum, tametsi Christianos se profiterentur. Vnde immensa contumelia Euangelio nasceretur, ceu turbas cieat, & pertinaces efficiat, qui nemini, neque usui, neq; obsequio, esse uelint, quom Christianum, omnium planè seruum constituat. Sic tributum pendebat Christus, Matthæi. 17. ne scandalo eis esset, quom tamen nihil indigeret.

Ita & in uerbis Christi, supra, Matth. 5. indicatis, ipse cernis, quòd Christianos quidem inter sese, tum secularis gladij, tum fori exptes esse debere doceat: uerùtamen haud prohibet, ut in seruiat qui spiam subdat urue illis, quibus & gladius est, & forum: quin potius te nõ indigente, illis obsequite oportet, qui non tam eò euecti sunt, quò tu, & adhuc indigent horum. Si tibi non opus est, ut multetur hostis tuus, at infirmo tuo proximo peropus est, quem & iuuare debes, ut sua pace fruatur, & hostis eius cohibeatur, quòd fieri non potest, ni Potestas & Magistratus in suo honore

honore a  
testati na  
lo: ita te  
testate, t  
è diuerso  
cessantur  
quàm ut  
se habeat

Qua  
re gladi  
uerbata  
malo, ut

Duo iam  
nos non  
los gesta  
tibi unã  
Christia

Tum alt  
eundem  
pore, di  
te non co  
niuerso

tas, deess  
pes, tequ  
ipsum, p  
modum  
at. Nec e

honore ac timore contineatur. Non ita dicit Christus, potestati ne seruias, aut obtemperes, uerum, ne resistas malo: ita te gere, ut omnia patiaris, quo tibi non opus fiet potestate, ut iuuet, in seruiat, utilis aut necessaria tibi sit: sed e diuerso, ut eam tu iuues, ei obsequaris, proficiuus, & necessarius existas. Altiolem & prestantiolem te uolo, quam ut huius indigeas, ceterum ipsa tua ope, necessitate habeat uti.

Quæris ergo. Num nam Christiano mundanum gestare gladium liceat, ac fontes multare, quom CHRISTI uerba tam fortiter & clare sonent: Non repugnandum malo, ut Sophistæ consilium inde fecerint: Respondeo. Duo iam satis accepisti, Alterum, quod inter Christianos non possit esse gladius, unde nec super, nec inter illos gestare potes, qui non indigent. Eundem est ergo tibi unam cum questione foras, ad alteram partem, qui Christiani non sunt, an illic fors christiane queas uti. Tum alterum adest, quod gladio in seruire obligatus es, eundemque poscere debeas, quocumque possis etiam, corpore, diuitijs, honore, & animo. Opus enim tale tametsi te non concernat, perutile tamen & necessarium est, uniuerso mundo, ac proximo tuo. Quare si animaduertas, deesse lanistas, lictores, iudices, Dominos aut Principes, teque obeundo muneri idoneum reperias indicare te ipsum, petereque officium debebas, ut adeo necessaria ad modum potestas, non contemnatur, flaccescat, atque intereat. Nec enim potest, nec uult bene sibi consulere mundus.

B 2 Rationem

VI,

M. LVTH. DE SVBLIMIORE

Rationem facile est cernere. Hoc enim pacto, totus in alienis obsequijs & operibus incederes, ut nec tibi, nec tuis facultatibus, aut honori, sed proximo tuo, alijsq; modo prodesse, nec eo faceres animo, ut ultionem sumeres, malumue pro malo rependeres, uerum ut pximo tuo commodares, protectioni, & paci aliorum seruandæ consuleres. Pro temetipso enim Euangelio adherescis, teque secundum Christi uerba regis, ut lubens uel alteram perferas maxillæ plagam, pallium ad tunicam relinquant, si te tuamq; modo causam attingat. Sic demum utrunq; pulchre progreditur, ut simul Dei & mundi Regnis satisfacias, intrinsecus & extrinsecus, simul malo non resistas, & resistas tamen. Altero enim ad te tuaq; respicis, altero uero, ad proximum suaq; declinas. Te, unâ cum rebus tuis iuxta Euangelion moderaris, & iniuriam ueri Christiani in morem constanter suffers: in altero, & rebus eius, te iuxta Charitatis gubernas præscriptum, neque quidquam iniuriarum pro eo tolleris, quod ipsum nec prohibet Euangelion, imò aliâs iubet.

In hunc modum uniuersi diui, uel à condito orbe, usi sunt gladio: Adamus cum suis posteris, Abrahamus item, quom nepotem ex fratre Lot eripiens eui hostium, quattuor postereret Reges. Gen. 14. Hoc pacto Samuel Propheta Regem Hagag percussit. 3. Reg 18. Sic gestarunt gladium, Mosse, Iosua, Israëlitæ, Samson, Dauid, et quicunq; Reges et principes in uet. test. præterea Daniel cum socijs suis, Anania, Asaria & Misaële Babyloii: Ioseph etiã Aegypti, sicq; de relijs ultra-

Quid

Quòd si quis causari uelit, abrogatum esse uetus testamentum, neque ualere ulterius, unde nec huiusmodi Christianis obferri exempla posse, id uero se haudquam imitabile habere, respondeo. Paulus nanque .1. Corinth. 10. Omnes, inquit, eundem cibum manducarunt, & potum biberunt de petra, qui CHRISTVS est, ut nos: hoc est, æque spiritum eundem & fidem in CHRISTVM habuerunt, atque nos, ac itidem Christiani fuerunt, ut nos. Quocirca ubicunque illi bene egerunt, & omnes unà Christiani non male agunt, à principio mundi ad usque finem. Siquidem tempus & externi mores, nullum inter Christianos delectum constituunt. Neque uerum est, ita abrogatum esse uetus Testamentum, ut non obseruari debeat, aut is qui totum seruet, is ideo non bene agat, quemadmodum diuus Hieronymus, et cum eo multi lapsi sunt. Ita uero abrogatum est, ut cuiuis uel omittere uel seruare liberum sit, nec ultra necesse sit, sub animarum interitu, ut tum fiebat, seruare.

Paulus enim .1. Corint. 7. Gal. 5. neque præputium, neque circumcisionem aliquid esse adfirmat, sed nouam in CHRISTO creaturam. Hoc est: Non est piaculum præputium habere, ut Iudæorum ferebat opinio, neque flagitium est, circuncidi quempiam, ut Gentium sententia erat, uerum utrunque liberum est & bonum, si quis ita faciat, ut ne inde se fore beatum & saluum arbitretur. Sic de quibuslibet alijs ueteris Testamenti ceremonijs iudicandum est, nihil delictum esse, siue omittantur, siue seruentur

tur, quòd in his nobis libertas existat. Quòd si facerent quidpiam ad proximi salutem, uel utiles, uel necessariae essent, omnes omnino conseruandae essent. Quilibet enim debitor est, ut quicquid sit commodo & necessitati proximi, siue uetus siue nouum Testamentum, siue Iudaica, siue Ethnica res item fiet, id faciat. Paulo. 1. Corinth. 12. docente. Nam charitas per omnia, superq; omnia graditur, eoq; solummodo respicit, quid alijs commodum ac necessarium sit, non quærens, ut ne nouum sit an secus. Iam & gladij exempla item libera sunt, ut sequi possis, aut non sequi, præterquam, sicubi uideas proximum tuum indigere huius, tum enim te charitas adigit, ut quod opus est facias, adgrediare, quòd alioqui tibi liberum, neq; quicquam necessarium est, perficiendo & omittendo: modo ne cogites te ideo iustificandum aut saluandum, quemadmodum Iudæi, suis operibus temere conabantur. Cæterum hoc fidei relinque, quæ te sine operibus ad nouam creaturam transmutat.

Atque ut hoc per nouum quoque commonstremus Testamentum, firmum adfert testimonium Iohannes Baptista Lucæ. 3. quem haud dubie Christum testificari, ostendere monstrareq; oportebat, hoc est, doctrinam eius omnino oportebat esse Noui Testamenti, adeoq; Euangelicam, cellam eius q. Christo uerum & perfectum adducere deberet populum, ille ipse militum constabilit officium, dicens: Contenti estote stipendij uestris. Quod si Christianum non esset gladium ferre, redarguere debebat eos, & præcipere, ut

tum



tum stipendium, tum gladium facerent missa, uel perperam eos Christianismum docuisset. Sic itidem diuus Petrus, quom Actor. decimo Cornelio nunciaret CHRISTVM, non iubebat, ut suum dimitteret officium, quod tamen omnino fieri oportebat, si Christiano statui, id obsuisset. Nam anteaquam Baptismo lauet, Spiritus aduenit super eum Paracletus. Et diuus hunc Lucas ceu iustum commendat, ante Petri prædicationem. Nec abijcit aut damnat id, quod erat, nempe militibus à Cæsare præfectus Centurio. Iam quod in Cornelio diuinus Spiritus inculpatum reliquit, non iniquum est, ut & nos inculpatum relinquamus.

Hoc genus exemplum & Aethiopum præfectus Eunuchus Actorum octauo perhibet, quem Philippus Apostolus CHRISTO lucrifecit, & baptisauit, inque suo eum officio permittens domum repetere concessit: qui tamen absque gladio, non præpotens in Aethiopia Candacis Reginae Præses esse potuit. Huc recensendus est & Cypri præses Paulus Sergius, Actorū 13. quem licet ad CHRISTVM conuerterit Paulus, attamen & inferiorum & superiorum gentiū Præsidem reliquit. Huc item accersendi sunt pleriq; S. Martyres, qui Romano, tametsi ethnico, Cæsari, obtempantes, cū eo ad prælia pfecti sunt, haudq; dubie et quosdam, p conseruāda pace, trucidarūt, ut de diuis Mauritio, Achatio, Gereone, alijsq; multis, sub Iuliani tyrannide, memoria proditum est.

Præterea, firmæ haudque obscuræ præ manu sunt

B 4 authoritates,

authoritates, Roma. 13. ubi, potestatem à Deo, inquit, ordinatam. Item non frustra gladium à potestate ferri, Dei siquidem ministra est, tibi in bonum, operanti uero malum in ultionem. Obsecro ne temerarius adeo sies, ut dicas, Christianum non ferre posse gladium, qui tamen & Dei peculiaris ordinatio & creatura est. Alioqui & dicere te oporteret Christianum non debere cibum potumue sumere, nec iungere se connubio, quom etiam Dei sint opera & ordinationes. Quòd si tum operatum creaturae Dei sunt, bonae profecto sunt, & ita bonae, ut quilibet ijs Christiane beateq; uti queat, perinde ac Paulus. 2. Timo. 4. ait: Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum credentibus, & ueritatem agnoscentibus. Inter omneis Dei creaturas opus est, ut nedum esum & potum, uestes & calceos, uerum etiam potestatem & subiectionem, defensionem & supplitium esse permittas.

Atq; ut summam complectar, posteaquam diuus Paulus hic Dei ministram potestatem adseuerauit, nō solis Ethnicis, sed et omnibus prorsum hominibus utibile esse necessum est. Quid enim sibi uult eam Dei ministram esse, nisi potestatem eius suapte natura esse indolis, ut Deo hac ipsa seruitus exhiberi possit. iam impiū foret alicubi dei ministerium esse, cui Christiani ut facerent, non obstringerentur, quom Dei seruitus, neminem aequè contingat, atq; Christianos. Proinde commodum sanè ac necessarium foret, omneis Principes ueros esse Christianos. Gladius enim atq; potestas, ceu singulare Dei obsequium Christia-

nos sigillatim præ cunctis terræ incolis, concernit. Quare gladium seu potestatem perinde æstimes oportet, ac matrimonium, aut agriculturam, aut alias opificium, à Deo item instituta. Vt ergo quispiam Deo in seruire potest coniugio obstrictus, agricola, uel architecton, ad alterius commoditatem, seruireque deberet, si id necessitas postularet, sic et in potestate obsequi Deo potest, imò & obsequi in hac debet, si proximi necessitas exigat. Nam Dei ministri sunt & opifices, qui malitiam quidem puniunt, iustitiam uero protegunt. Attamen ut etiam liberum sit omittere hæc, si tibi res postulet, quemadmodum connubio iungi, agriculturam exercere, libera sunt, ubi necessaria non sunt.

Obijcis itaq; . Quid ergo Christus unà cum Apostolis non usus est gladio? Ecquid, inquam, tu mihi responde, quid ni et uxorem non duxerit, aut sutor factus sit, aut sartor? Ideon̄ status, offitiumue mala essent, quòd eadem non exercuerit Christus, ubi quæso uniuersi status & offitia manerent? dempto uerbi tamen ministerio & concionis, quo solo usus est. Porro sui status ductu, nullum profecto alium reprobauit Christus. Sua non intererat gladium ferre: offitium enim solum ferre debebat, unde Regnum suum administraretur, & qd' proprie Regnum concerneret suum. Iam Regni sui non interest, ut ipse, matrimonio iunctus, sutor, sartor, agricola, Princeps, carnifex, aut præco sit, ite neq; gladius: nec mundanum ius, sed uerbum Dei modo et spiritus, quo sui intrinsecus ducuntur & gubernantur, Quod offitij tum quoque exequiebatur, & adhuc perpe-

tuo exequitur, plus nunquam non & spiritus impertiens, & uerbi DEI. Et in hoc officio sequi cum cogebantur omnes Apostoli, spiritualesque gubernatores. Nam & spiritu illicum gladio, quod est uerbum Dei, tantum profecto agere omnino habent, quo huiusmodi partes suas recte administrant, ut inuidanum gladium ommittere commodum eos deceat, aliaque artificia, quibus non incumbit uerbi Dei promulgandi onus: tametsi statui suo non aduersentur, uti narratum est. Quemlibet enim suam prestolari uocationem, opusque, necesse est.

Quam ob rem, etiamsi gladium neque tulerit nec docuerit Christus, abunde tamen satis est, quod neque prohibuerit, nec e medio tulerit, sed potius constabiliuerit: quemadmodum satis est, quod coniugij non sustulerit statum, sed confirmarit, tametsi uxorem non duxerit, neque quicquam de hoc docuerit. Omnino enim exhibere se illum oportebat huiusmodi cum statu operaque, quae peculiariter ad suum attinent Regnum, ne inde occasio, necessariumque traheretur exemplum, & docendi & credendi, Dei Regnum citra matrimonium, gladium, horumque similia externa persistere haud posse (nam Christi exempla necessario cogunt) cum tamen per solum Dei tum uerbum, tum Spiritum persistat. Quod & Christi proprium oportuit esse officium, & debuit, tanquam in eo Regno summi Regis. Hoc ipsum officij, quom Christianorum omnium non sit (licet esse possit) equum est, ut & aliud externum habeant, quo etiam Deo obsequium praestari possit.

Ex

Ex hisce omnibus iam sequitur, quisnam sanus sit intellectus Christi uerborum. Matth. 5. Malo ne resistatis &c. Nempe talis. Quod Christianus ita paratus esse debeat, ut omne malum & iniuriam non iniquo ferat animo, non se ipsum ulciscatur, ut ne omnino pro se ipse mundanæ potestatis, aut fori indigeat. Aliorum uero causa, uindictam, ius, protectionem inquirere, & quicquid potest, conari debet. Hoc pacto & hunc potestas, siue ex se ipsa, siue aliorum instigatu, absq; eius querimonia, uisitare, defendereq; opus habet. Quod si minus fecerit, sibi pellem detrahi plaustraq; conuictiorum dici perpetiatur, nec malo cuiquam resistat, iuxta CHRISTI uerborum sonorem.

Interim tu certus esto, huiusmodi Christi doctrinam, non esse pro perfectis consilia, ut nostri Sophistæ conuiciantur, mentiunturq; cæterum commune rigidamq; pro cunctis Christianis mandata. Ut scias eos omnes in uniuersum, gentes esse, Christiano tamen sub nomine, qui se uel ulciscuntur, uel pro facultate & honore suis in foro litigant. Idq; tibi certe, & ex animo, impermutabiliter dictum arbitrare. Neque uero copia, aut inueterata consuetudine commoueare. Pauci enim Christiani in terris supera uescuntur aura, neque in hoc quicquam hæsites. Ad hæc Dei uerbum quiddam aliud est, quam communis consuetudo.

Hic nanq; cernis ipse, quod Christus legem non e medio tollat aut abroget, ubi dicit. Audistis dictum esse anti  
quis,

M. LVTH. DE SVBLIMIORE

quis, oculum pro oculo. Ego autem dico uobis, ne ulli quidem resistatis ipsi malo, uerum enim uero mentem legis exponit, qualisnam sit. Qu. d. Vos Iudæi coram deo rem bene gestam arbitramini, si uestra iure repetatis, illoq; nitimini, quod Moses protulit, oculū pro oculo &c. Dico equidem uobis, ideo à Mose hanc legem super scelerosos latam, quorum regnum dei non interest, ut ne se ipsi ulciscantur, aut peiora committant, cæterum huiusmodi externo iure cogantur abstinere à malo, ut uel sic externo iure & regimine, sub potestate comprehendatur. Quamquam enim sublimiorē mundi potestatem huiusmodi lege munitam esse oporteat, qua incredulos et impios iudicet, uosq; ipsi possitis hac uti, alios secundum hanc iudicandi, non tamen, siue pro uobis, siue in uestra causa uos querere aut uti conuenit. **REGNUM ENIM DEI HABENTES, TERRAM VOS RELINQVERE DECET, QVOCVNQVE ETIAM SVRRIPIENTE.**

Ecce hic uides ut Christi uerba, nō eō pertineāt, quòd Mosi legem abrogent, mundanamue potestatem prohibeant. Cæterum suos eximit Christus, quod ijs pro sese nō uti sed infidelibus relinquere debeant, quibus & hoc suo iure inseruire possunt, quom tamen impij sint, nemoq; ad Christianismum cogi queat. Quod autem Christi uer-

ba ad

ba ad suos modo attineant planum fit ex eo quod subinde subijcit. Illos inimicos suos diligere debere, & perfectos esse, quemadmodum & pater eorum cælestis. At uero, qui inimicos suos amore prosequitur & perfectus est, is legem cubare sinit, nec eadem utitur, ut oculū pro oculo postulet. Nec infideles impedit, qui inimicos suos odio prosequi, legeq; uti uolunt. Imò suppetias etiam fert, ut leges huiusmodi malos capiāt, ne quicquam peius exequantur.

Iam nunc uerbum Christi, gratiam inijsse arbitror, cum auctoritatibus, qui gladium instituunt. Hancq; esse sententiam. Gladiū nemo quisquam Christianus pro sua causa aut ferre, aut implorare debet, cæterum pro alio & potest & debet ferre & implorare, ut malicia infrenetur, iusticia uero defendatur. Perinde ac dominus eodē loci ait. Christiano non esse iurandum, quin potius uerbum eius planè adfirmare, & planè infitari debere. Hoc est pro sese, ac sua uoluptate iurare caueat. Atqui si necessitas, utilitas ac beatitudo deiq; honor postulet, iurandum est illi, tum enim alij in obsequium uetito iuramento utitur, sicuti & alij in obsequium uetito utitur gladio, qua ratione & Christus & Paulus sæpenumero deierāt ut ita doctrinæ & testimonijs de Christo suis, fidem & auctoritatem faciant, id quod & in pactis & contractibus item fieri potest.

Ultra hic quæris, numnam lictores, carnifices, iurisperiti, rabule, & quicquid hoc genus est: Christiani esse,

M. LVTH. DE SVBLIMIORE

esse, beatamq; uitam ducere possint, Respondeo. Si potestas & gladius ministerium dei sunt, ut iam antea memoratum est, id quoq; totum dei oportet esse ministerium, quo opus habet potestas, ut gladium ferat. Nam oportet omnino esse, qui flagitiosos capiat, accuset, strangulet et occidat, bonos tueatur, defendat & eripiat. Quare si e corde faciant, ut non se querant ipsos in hoc, sed iuris & potestatis tantum, quibus cogantur mali, defensionem atque iuuamen, est illis absque discrimine, ijsq; uti ut alia arte ac inde uiuere possunt. Nam ut memoratum est, Charitas proximi, non sua curat, neque quam ingentia, aut humilia, sed enim, quam commoda & necessaria proximo, aut reipublicae opera sint.

Quid? inquis. Non pro me ipse causaq; mea, gladio uti possem, hoc consilio, ut non inde meum quererem compendium, uerum ut eo malum castigaretur? Respondeo. Tale miraculum, potest quidem fieri, sed rarer admodum, neque sine periculo, quom diuitem omnino spiritum requirat. In hunc modum enim Samsonem legimus. Iud. 15. dicere, feci eis, ut mihi antea fecerant. Contraueniente huic Salomone Prouerb. 24. Ne dicas faciam ei perinde atque mihi fecit. Et. 20. Ne dicas, rependam ei malū. Nam Samson in hoc à deo destinatus erat, ut Palestinos adflingeret. Israëlitasq; liberos constitueret. ut maxime enim suum sibi praelegeret causam Samson, non ideo tamen suum querebat compendium, aut uindictam, sed horum salutem, illorum uero debitam poenā.

Atqui



Atqui hoc paradigma nemo sequitur ni integer Christianus & pleno spiritu existat, idem si ratio attentare uelit, causabitur quidem, sua se non querere, in radice autem id uanum erit. Absq; gratia enim uires excedit omneis. Quare primum Samson fias oportet, deinde, uel Samsonem exprimas, licet.

SECUNDA PARS.

QVAM LONGE LATEQVE  
PATEAT SVBLIMIOR  
MVNDI POTESTAS.

**A**D statum & caput huius sermonis iam pro-  
ram uertimus, posteaquam enim docuimus,  
oportere in terris esse, sublimiorem potesta-  
tem, adeoq; mundanum magistratum, &  
quo pacto quisquam Christiane feliciterq; uti eo possit,  
docendum est iuxta, quousq; se & brachium & manus  
eius proroget, & quam late pateat, ne nimium sese ex-  
tendat, deiq; tum in regnum tum gubernationem irrum-  
pat. Porro id scitu necessarium est, quandoquidem hor-  
rendum intollerabileq; detrimentum inde emergat, ubi  
nimium latioris campi tribuatur illi, nec sine damno esse  
possit, ubi nimium in arctum cōtracta sit. Hic minus pu-  
nit,

nit, isthic nimium. Quanquam tollerabilius sit ut in hoc latere peccet, & minus puniat, quàm in altero, & nimis puniat, quando semper præstet, nebulonem permittere uitali aura frui, quàm bonum quempiam dare neci, postquam omnino mundus nebulones habeat, neque carere possit. Bonorum autem copia nunquam non destituatur.

Primum obseruandum est, geminam Ade filiorum portionem, quarum altera ad regnum Dei attinet, sub Christo, altera ad mundi regnum sub Magistratu (ut in superioribus recitatũ est) geminam oportere legem habere. Cuilibet enĩ regno suas leges iuraq; esse necesse est, quom absque legibus, nullum neque regnum, neque administratio persistere possit, id quod satis superq; quotidiana experientia mōstratur. Mūdano regimini aut administrationi leges sunt, quæ non se latius extendit, quàm super corpus, facultates, & quicquid in terris externum est, Animam enim nec uult nec potest ferre Deus, ut quisquam, se dempto, regat. Quocirca ubi mundanus Magister legem animis ferre temere attentat, deo in suum manus immittit regimen & seducens tantum & perdens animas. Idque adeo planum faciemus atque perspicuum, ut & tangi queat, ut uel nostri domini Principes & Episcopi, quales agant stultos agnoscant, ubi cogere eis animo sedet mortaleis legibus suis et præceptis, quo sic uel sic credant.

Si humanum animæ mandatum imponitur, ut sic, uel sic aliter credat, pro hominis istius nutu, certissimum est,

non

non adesse uerbum Dei. Iam si uerbum non adsit, incertum est, num Deo placeat: imò certum est displicere Deo, qui uult fidem nostram nudam & puram, super solū eius uerbum fundatam, quom Matthæi. 18. inquit, Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Et iohannis decimo: Oues meæ uocem meam audiunt, & agnoscunt me, alienorum autem uocem non audiunt, sed ab eis fugiunt. Vnde sequitur, quòd Potestas animos tanta cum temeritate, ad æternam cogat mortem. Cogit enim, ut hoc credant homines, ceu rectum, & tale, quod certo Deo placeat, quom tamen incertum sit, imò & displiceat Deo, non præsentē perspicuo Dei uerbo. Nam qui uerum certum que id esse credit, quod iniquum incertumq; est, is ueritatem abnegat, mendacio & error: fidem adhibens, iniustumq; pro iusto reputans.

Quare supra modum insignis stultitia est, præcipientibus istis, Ecclesiæ, Patribus, Concilijs fidem adhibendam esse, etiamsi uerbo Dei careant, non Ecclesia, Satanae autē Apostoli hæc mandant. Nihil enim præcipere potest Ecclesia, ni uerbum id esse Dei certo norit, D. Petro testificante: Qui loquitur, inquit, uelut sermones dei, loquatur. Quòd uero Concilia sint uerbum Dei, id commonstrabunt sanè, ubi Nibas, ut aiunt, coccisauerit. Insignioris longè stultitiæ est, si dicatur, Reges et Principes & multitudinem ita credere. Apage sis cum istis. Neque in Reges, Principes, aut multitudinem baptisati sumus, sed in Christum ipsū que Deum. Neq; etiam Reges, Principes, aut multitudo,

C sed

Sed Christiani uocamur, Animæ nemo nec debet, nec potest mandare, ni non ignoret ad cælos illi monstrare uiam. Id uero, præter solum Deum, præstare nemo potest: unde in rebus animam concernentibus, nihil docendum, suscipiendumq; præterquam uerbum Dei.

Præterea, tametsi insigniter stupidi sunt, tamen fateri coguntur, nullius iuris sup animos, copiam eis factã esse. Nemo enim hominum, animam occidere, aut uitæ restituere, cælos, inferosue uersum ducere potest: cuius si nullã adhibitori sint nobis fidem, omnino satis constat id Christus confirmabit. Matthæi. 10. Ne terreamini ab ijs qui occidunt corpus, quibus deinde nihil opis reliquum est, quom animam occidere non possint: timete uero potius eum, qui cum animam occidere potest, tum corpus in gehenna deperdere. Hic arbitror satis perspicuo, animam, humanæ ereptam manui, solius Dei subditam potestati. Edissere nunc quaeso mihi, quantum illi capiti prudentiæ aut rationis insit, qui ubi nihil ipsi iuris est, mandata statuit. Ecquis illũ  $\mu\omega\rho\acute{o}\tau\epsilon\rho\rho\ \mu\kappa\lambda\iota\tau\acute{\iota}\delta\omicron\upsilon$  non iudicaret, qui lunæ in mandatis daret, ut non secus ac ipse uellet, commodaret lucem? quàm bella concordia foret?

Si Lipsenses nobis Vuittembergensibus, aut è diuerso, nos Lipsensibus mandata imponeremus, nõne mandatoribus istiusmodi helleborus donaretur præmij uice, quo cerebrum purgarent, & pituitæ medarentur? Adhuc tamen Cæsares, prudentesq; Principes nostri ita prouunt, seq; à Papa, Episcopis et sophistis, cæci à cæcis, eoduci sinunt

nunt

nunt, ut subditis suis præcipiant credere, absq; uerbo Dei, interim tamen Christiani Principes esse uolunt, si Deo gratum est.

Quinetiam & penes hoc accipi potest, quòd una quælibet potestas ibi modo agere potest & debet, ubi uidere, agnoscere, iudicare, sententiam ferre, ambulare & permutare liceat illi. Qualis enim ille iudex esset, qui utcunque iudicare uellet, causam nec auditam nec perspectam sibi? Dicas mihi nunc: Qui corda uidere, agnoscere, iudicare, discernere, permutareq; potest homo? quom hoc soli Deo adseruatum sit, ut Psal. 7. ait: Scrutans corda & renes Deus. Item Deus iudex est hominum. Et Acto. 10. Deus est κἀγδ' ἰογνώσκῃς. Et Hieremiæ .1. Malum & inscrutabile cor hominis, quis enim scrutabitur? Ego dominus cordum & renum explorator. Iudicium omnino certum, nihil que non Soli expositum esse oportet, sententia ubi ferenda sit. Animi uero & sensus & cogitatus, præterquam soli Deo, nemini patet: quare uanum et impossibile est cuiquam præcipere, aut quem ui cogere uelle, ad sic uel sic credendum. Alia hic uia lentandus est in unda remus. Violentia nihil perficitur. Vehementer autem ingētes istos Morychos demirror, posteaquam omnes uno ore adfirmēt, de occultis non iudicare Ecclesiam. Si Ecclesiasticū spirituale regimē aperta modo iudicat, quid uæfana mūdi potestas tā archana, tamq; spiritualia (qualis est fides) iudicare ordinareq; tandē conatur? Iam & cuius suum in hoc situm est discrimen atq; periculum, quomodo credat, sibi enim pspici

endum est ut recte credat. Quàm nemo pro me uel ad  
 cælum, uel Aucerna peruenire potest, tam nemo pro me  
 credere aut non credere potest. Utque non est in cuius-  
 quam potestate, cælum & Inferos ante me claudere uel a-  
 perire, sic neque, ad fidem incredulitatémue me urgere.  
 Quom ergo in sua cuiuslibet conscientia positum sit, quo  
 modo credat, uel nō credat, ut nihil detrahatur mūdane po-  
 testati, & ipsa pacata esse, suarúmque rerum gerere cura-  
 ram debet, ac iuxta cuilibet permittere, ut credat, quoquo  
 modo aut uelit, aut possit, neque quenquam ad fidem cogere.  
 Nam liberum opus fides est, ad quam nemo uí adie-  
 gi potest, imò diuinum opus est in Spiritu, tantum ab-  
 est, ut externa uis hanc uel cogere uel efficere queat.  
 Hinc & uulgatum dictum, quo & usus est Augustinus,  
 manat. Ad fidem nemo nec potest, nec debet quidem cogere.

Ad hæc miseri erumnosiq; non uident, quom omnino  
 uana & impossibilia præ se ferant. Quantumuis enim  
 siue præcipiunt, siue insaniunt, non tamen ultra, quàm  
 ut ore manúque sequantur eos, cogere possunt mortales.  
 Cor enim etiamsi rumpantur, impellere nequeunt, ut ita  
 uerum sit uerbum, quod uulgo iactari solet: Liberas esse  
 à uectigali cogitationes. Quid ergo cogunt homines, ut  
 corde credant, quom id fieri non posse ipsi perspiciant, ac  
 iuxta imbecilles conscientias urgeant, ut mentiantur, ab-  
 negentq; Christum, & secus dicant, ac gerant corde, o-  
 nerantes ita sese horrendis alienis facinoribus atq; peccati-  
 tis. Nam quodcunq; mendacium ac falsa confessio, ab in-  
 firmis

M  
 firmis  
 eas rec  
 aberrat  
 quàm  
 dicant

Sin  
 re sina  
 repro  
 modum  
 mei pa  
 tio sat  
 tentes  
 bus re  
 public  
 ces su  
 rat co  
 uintia  
 latroc  
 uincia  
 id uer  
 pellen  
 pra t  
 tere q  
 tem a  
 bulon  
 alte s  
 & se

firmis eiusmodi conscientijs promanans, super urgentes eas recidunt. Multo facilius erat, etiamsi subditi eorum aberrarent à scopo, simpliciter illos errare permittere, quàm ad mendacium, ut, quàm sentiant in corde, aliter dicant, cogere. Nec, peiore malum pellere, fas tibi erit.

Sin scire cupis, quid iam atrociter Principes impingere sinat Deus, equidem tibi dicam. Tradidit eos Deus in reprobum sensum, uulq; colophonem eis addere, quemadmodum & Dominis nostris spiriualibus. Nam Domini mei parum propitij, Papa & Episcopi, suo debebant officio satisfacere, Deique nunciare uerbum, id uero omit- tentes mundanorum Principum assumpserunt formam, legibus res modo uitamq; concernentibus, Christianam rempublicam administrantes. Quinetiam belle pmutarunt uices suas: intus animum, uerbo Dei, gubernare intererat eorum, at externo dominatu arces, ciuitates, prouincias & homines regunt, adfugentes animas infandis latrocinijs. Hac ratione, mundani Optimates, prouincias hominesque externe administrare conueniebat, id uero posthabentes, nihil præterquam deglubere ac pellem detrahere, uectigal supra uectigal, tributum supra tributum condere, hic uersum, illic uero lupum emittere queunt. Præterea nec iustitiam, nec fidem, nec ueritatem apud sese reperiri sinunt, aguntq; ut prædones ac nebulones nimium multi fiant: quo fit, ut eorum regimen tam alte succumbat, quàm spiriualium Tyrannorum. Hinc & sensus illorum inuenit Deus, ut præpostero ordine su

per animas sceptrā tenere, spiritali, æque atq; isti munda  
 na lege uelint, ut adeo audacter aliena sup se scelera cumu  
 lēt, Dei, omniumq; hominum super se odium concitent, us  
 quedum unā cum Episcopis, Sacrificis, Monachis, leno  
 cum lenone, ipsi pessum eant: post, quicquid huius est,  
 EVANGELIO attribuunt, locoque confessionis suæ  
 conuiciuntur DEO, instituisse confirmantes, quod scele  
 rata eorum peruersitas merita est, & adhuc absque inter  
 missione ut olim Romani suam demolitionem, merentur.  
 Ecce tibi diuinum super Magnates consilium, cui haudqua  
 quam adhibere fidem debent, ne tam seuerum Dei consili  
 um istorum resipiscentia impediatur.

Obijcis uero: Nonne diuus Paulus Roma. 13. Omnis,  
 inquit, anima potestati & Magistratui subdita sit. Et Pe  
 trus, Omni humanæ ordinationi subditi simus? Belle ad  
 uentus, inquam, illi enim loci pro me pugnant. Diuus Pau  
 lus de Magistratu & potestate loquitur. Iam nunc autem  
 accepisti, neminem, animorum, præter Deum, rectorem  
 esse. Iam & Paulum de nulla obedientia dicere oportet,  
 quam Potestas non possit attingere. Hinc facile colligi po  
 test, eum de fide non loqui, ne hanc præciperet unquam  
 mundana potestas, uerum de externis bonis, quæ in terris  
 ordinaret administraretq; . Id uero non obscure uerba  
 eius indicant, ubi tum Potestati, tum obedientiæ præfigit  
 scopum ac metam, dicens: Suum cuique reddite, cui tribu  
 tum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui honorem, hono  
 rem: cuius est timor, reddite timorem. Ecce mundana o  
 bedientia



bedientia & potestas super tributum, uectigal, honorem, timorem, externas res se modo extendit. Præterea quom ait, Non bonis, malis uero operibus pertimescendam esse potestatem, rursus suis finibus circumscribit potestatem, ne fidem & uerbum Dei, sed mala opera castiget.

idem Petrus uult, dum ait, humanæ ordinationi. Porro humana ordinatio sese extendere non potest in caelum, & super animam, uerum super solum in terris externum mortalium inter se gestum, ubi uidere, cognoscere, iudicare, sententiam ferre, multare & eripere possunt homines.

Hoc totum CHRISTVS ipse discreuit, inq; fascem unum complexus est Matthæi. 22, inquit: Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ Dei, Deo. Quod si Cæsaris manus in Dei tum regnum, tum potestatem extenderet se, nec diuersa esset ab ijs, quid opus erat discrimen horum ponere? Nam ut iam sæpe dictum est, anima non est sub Cæsaris constituta potestate. Neque enim hanc docere aut ducere, neque occidere aut uiuificare, nec ligare aut soluere, nec iudicare nec condemnare, adseruare uel dimittere potest, quæ tamen confieri oportuit, si copia sit illi facta præcipiendi, legesque condendi animæ. Talia uero corpori, facultati, honori, exhibere potest, quandoquidem eius iuri subiecta sint.

Atque hoc totum non paucis ante sæculis tam bello, quàm breui uerbo complexus est Dauid, ubi in

quit Psalmo. 113. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Id est, in terrena, & quicquid ad terrenum Regnum attinet, copia quidem est homini facta diuinitus: in cælestia uero, & quicquid ad supernum Regnum attinet, solus cælestis Rex dominatur. Huius nec Mose oblitus est, Genesis. 1. inquiens: Dixit D E V S: Faciamus homines, qui bestijs terrenis, piscibus marinis, auibus in aëre uersantibus dominantur. Atque hæc est summatim sententia: Oportet Deo plus morigerari, quàm hominibus, ut diuus Petrus ait Actorum quarto, quo mundana potestati metam clare statuit. Si enim, quicquid præciperent Tyranni, perficiendum esset, superuacaneum esset dicere: Oportet Deo plus obedire, quàm hominibus.

Quòd si Princeps tuus, mundanusue Dominus præcipiat, ut à partibus Papæ stes, ut sic uel sic credas, uel ut à te libros aliorum ableges, sic te dicere oportet: Lucifero non licet, suum proxime D E V M, collocare thronum. Bone Domine, debitor sum quidem, tibi morem gerere, & corpore & facultate meis, mandauero mihi pro tuæ in terra potestatis modulo, tum iussa exequar. Sin mihi præcipis, ut credam, ut libros ablegem, nihil obtemperabo. Hic enim Tyrannum agis, excedis dominatus tui fines, quod neque in iure, neque potestate tua est, mandans. Si propterea facultatem tibi diripit prædo, talem inobedientiam multas, beatus es, hincq; gratias age D E O, te dignum esse propter uerbum D E I ignominia

ignominia affici: permitte scire Morychum, suum offendet iudicem. Dico enim tibi, ni isti contradixeris, sed, ut fidem tibi aut libros eripiat, cesseris uere Deum abnegasti.

Et ut hac de re exemplum proferam, in Mysna, Bauaria, Marchia mandatum euolgarunt Tyranni, ut quis Nouum habeat Testamentum, id Magistratibus Praefectisue suis passim offerant. Hic eo modo faciendum est subditis, ut nec minimam quidem phylluram, aut apicem, sub aeternae suae beatitudinis amissione, istis offerant. Quisquis enim fecerit, is Herodi in manus CHRISTVM tradit, nam aequae agunt, atque Herodes, occidentes CHRISTVM. Caeterum, si, ut in eorum aedes irruptio fiat, uique seu libri, seu facultas eripiat, constituent Tyranni, id perpeti debent. Temeritas hic uolentiaq; non est auersanda, sed tolleranda, nec ideo iustificanda tamen, nec obsequium illi praestandum, nec sequendum obtemperandum, ne uestigio quidem pedis, aut digito. Istiusmodi enim Tyranni, ut mundanos Principes decet, agunt. Principes mundi sunt, mundus autem inimicus est Deo, ideo, quod Deo aduersatur, mundo uero gratum est, eos facere oportet, ne suo honore destituantur, mundaniq; Principes perseuerent. Quare nulla te capiat admiratio, si aduersus Euangelion tabescere & scire istos animaduertas. Titulo, nominiq; suo satisfaciant, oportet.

Certum sit etiam apud te, à condito usque mundo, raram admodum auiculam, sapientem Principem, fuisse, multo rariorem, iustum aut bonum. Vulgo omnium in

M. L V T H . D E S V B L I M I O R E

terris longe maximi Moriones, aut nebulones extiterunt, unde nunquam non & indignitatis multum, bonitatis & pietatis parum expectandum fuit, præsertim in rebus diuinis, animarum salutem concernentibus. Dei enim tortores atque carnifices sunt, Principes, quibus diuina ira, in malorum poenam, ciuilisque pacis conseruationem utitur. Magnus Dominus, D E V S noster est: hinc & tam nobiles, generosos, diuites, carnifices & lictores, cum habere necessum est, quos etiam diuitias, honorem, timorem, à quibusuis abundanter & copiose recipere uult: Sic uisum est diuinæ uoluntati illius, ut eius carnifices propitios Dominos uocemus, eorum obuoluamur pedibus, omni que cum humilitate, καὶ μετὰ πάσης τῆς ταπεινοφροσύνης, morem illis geramus, quamdiu suo cum officio nō transilierint stateram, & quo ad nō exceßerint medium, ut si é lanistis pastores esse incipiant. Porro ubi res feliciter ita cedunt, ut prudens, pius & Christianus sit, Princeps, maximorum prodigiorum unū est, pretiosissimumq; symbolum diuinæ erga illam regionem gratiæ: nam serè illo loco, qui est Esaiæ tertio capite, respondent Principes. Dabo, inquit, pueros, principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Et Osee. 13. Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam eum in indignatione mea. Nequior & indignior mundus est, quàm ut sapientes & bonos fouere queat Principes. Ranis ciconias dominari necesse est.

Rursum obijcis: Neminem ut credat, mundana potestas compellit, uigilans modo prohibet externe,  
ne

ne praua doctrina, à uero abducantur homines. Quomodo alioqui hereticis intercludi uia posset? id inquam Episcopi, quibus id muneris non principibus, delegatum est, curare debēt. Heretici nulla externa ui cohiberi possunt. Alia ratione adoriaris oportet. Alia hic pugna, alia res item, quàm si ferro decernatur. Dei uerbo hic bellum gerendum est, quod si nihil efficiat, pulchre à mundana ui ineffectum permanebit, etiamsi orbem cruore adimpleat. Heresis spirituale quiddam est, quod nullo quidem ferro diffecari, nullo igni cremari, nulla aqua submergi potest. Solum uero Verbum Dei est, quod ferit, exurit, & submergit. D. Paulo testimonium dicente. Arma enim militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia in Deo, quibus destruamus excelsas munitiones, consilia demoliamur, omnemq; altitudinem, attollentem sese aduersus cognitionem Dei, captiuemusq; omnem intellectum, ad obediendum deo.

Ad hæc, non maior est fortitudo cum fidei, tum hæreseos quàm ubi citra Verbum Dei, nuda uiolentia, aduersum illas agatur. Nec enim cuiquam dubium esse potest istiusmodi uim, non iustam tutari causam, uerū iuri æquitatiq; contrauenire, quom sine uerbo feratur, seq; nisi mera uiolentia, brutorum animantium in morem uiuare haud possit. Quandoquidem nec in mundi causis, uiolento progressui reliquus sit locus, quamdiu ab iniusto, trophæa non tulerit ius. At quanto impossibilius est in illis tam arduis causis uiolēter, tum **VERBO**, tum iure seclusis,

clusus agere? Perpende itaq; quàm belle prudentiã osterdant suam domini isti? Heresim propulsare animus est illis, nec tamen quicquam adoriuntur, quàm quo aduersarios confortent, se suspectos, illos uero iustos reddant. Obsecro si heresim abigere cupis, eo te strategemate instructum esse oportet. Nempe ut primum eam è corde diuellas, dein redditis causis uoluntariam amoliaris, uiolentia uero tantum abest, ut propulses, ut etiam confortes.

Quid ergo te iuuat, si heresim intus in corde corroboras lingua uero solum debilius, ac iuxta ad mendacium quenquam cogas. Porro Dei VERBUM corda illuminat, ex hoc deinceps, quicquid est uel hereseos, uel erroris è corde suapte sponte elabitur.

De huiusmodi heresis destructione, Isaias uaticinatus est cap. 11. sic inquit. Percutiet terram uirga oris sui. Et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Illic impij interitum & cõuersionem ore absolui debere uides. Atq; ut omnia semel dicam. Principes istiusmodi & Tyranni ignorant, Quod aduersus heresim belligerari, sit aduersus Satanam belligerari, qui corda errore circumseptã possidet, ut Paulus Ephes. 6. testatur. Quoniam, inquit, non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, potestates, dominationes tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales deniq; nequitias quæ in coelestibus uersantur. Quandiu ergo à corde non euellitur, & abigitur Satan, perinde est illi, si uasa eius ferro aut igni perdam, ac si culmo fulgur impugnarem,

Hoc

Hoc totum copiose testatus est D. Iob. cap. 14. dum recitat ut ferrum, straminis instar diabolus reputet, neque quicquam timeat uolentiam. Tametsi enim omnes in uniuersum Iudæi & Hæretici ui supprimerentur occiderenturue, nemo tamen ideo uincitur, uel ad Christum conuertitur.

Enim uero eiusmodi mundi, tales esse Principes decet, ut neutra pars suam rem quicquam curet. Episcoporum esse partes debent, ut **VERBUM** Dei posthabeant, nec animas administrēt, mūdi uero huius principibus demandent, ut gladio, sui loco regnent. E contra mundani principes, foenus, rapinam, adulterium, latrocinium, aliaq; id genus flagitiosa opera, ubi impunita libere dimiserunt, ipsi debent perpetrare, postq; admittere, ut Episcopi schedis excommunicatricibus eadem corripiant, hocq; pacto calceum egregie inuertant, ferro animum. Schedis uero corpus gubernantes, utq; mundani principes spiritualia, Spirituales uero principes, mundana gubernent. Ecquid alioqui operis in terris est Satanae, quàm quod tanta præstigia & ludicra exerceat, agatq;. Hi sunt Christiani Principes nostri, qui fidem defendunt, ac Turcam deuorant. Belli profecto socij, quibus bene fidentum est, ut hac sua prudētia quid expediant. Nempe, ut ceruicem suam præcipitem dent, & regiones & gentes in miseriam, calamitatem & necessitatem adigant.

Optarim tamen equidem uehementer Leberide cecioribus fidele consilium impendere. Puta, ut à paruulo  
omnino

M. LUTH. DE SVBLIMIORE

omnino dicto sibi caueant, quod est in psal. 107. Soach  
bus al nedibim, id est, Effundit contemptum super prin-  
cipes. Per deum uobis sancte deiero. Si tantillum id uerbu-  
lum, uestra negligentia, in uos acceperit uires, nulli estis,  
etiamsi quilibet uestrum potentia Turca non inferior  
sit, neque tantillum uestra tum saeuitia, tum rabies, quic-  
quam commodabunt uobis, id quod uel iam nunc non pa-  
rum coepit, pauci enim principes supersunt, qui non uel  
pro Morionibus uel nebulonibus habeantur. In causa est,  
quod se tales exhibeant. Nam sapere tandem incipit uul-  
gus, & principum multa (quam contemptum, deus uo-  
cat) potenter sanè incedit inter uulgus. Est q; periculum,  
non posse huic obsisti, aut pharmacon confici. Ni princi-  
pes esse coeperint, quod esse uolunt, aspicientur q; de inte-  
groratione, & mansuetudine dominari. Non tolerabi-  
tur, nec uult nec potest amplius uestra Tyrannis ac ani-  
mi peruersitas ferri, & secundum hæc agitedum, optimi  
domini & principes, ne uos negliger geratis, at po-  
tius hæc apud uos perpendentes, uitam uestrã iuxta cor-  
rigatis. Sic decretum est diuinæ uoluntati, ut non diutius  
uestram patiatur nequitiam. Non est hodie mundus, ut  
quondam, dum homines, ceu syluestres feras, agitaretis,  
uenaremini q;. Quam ob rem à temeritate & uolentia  
desistentes, in animo cogitate, ut recte iuste q; agatis, &  
permittite diuino operi (quem omnino uult, & operæ  
precium est ut habeat) necessarium cursum siue progres-  
sum,



sum, quem nec unquã impedire poteritis. Si hæresis præsto est, ea ut decet, uerbo Dei uincenda est. Sin gladium euaginari, plus æquo conabimini. Cauete, aduentet qui uos in uaginam recondere gladium, non in Christi nomine iubeat.

Diceret aut quispiam. Quom ergo ademptũ esse Christianis mundanum gladium opus sit, qua uia externe gubernabuntur? quandoquidem & inter Christianos prorsum oporteat esse qui primas teneant. Respondeo. Inter Christianos nec potest nec debet esse præeminentior potestas, ceterum alter alteri subditus est, ut D. Paulus Rom. 12. ait: τὸ αὐτὸ ἐῖς ἀλλήλους φρονοῦντες. Et Petrus. 2. Pet. 5. Subditi inter uos inuicẽ sitis. Idẽ Christus uult Lucæ. 14. Quom inuitatus fueris, inquit, ad nuptias ad nouissimum recumbe locũ. Inter Christianos, præter solum Christum, qui eminentior sit, nemo est. Et qualis nam ibi eminentior potest esse potestas, ubi omnes æquales inter sese & unum sunt, eodemq; iure, potentia, facultate & honore ex æquo fruuntur, quin etiam ubi alius nõ alio maior, sed inferior esse percipit. Porro nec posset, etiam si maximopere quis ex animo uelit, institui aut erigi potestas, ubi tales sint homines, quom indoles et horũ natura non ferat. Sic ubi uero huiusmodi mortales non sunt, nec ueri etiam Christiani sunt.

Quid ergo sacerdotes & Episcopi sunt? Respondeo. Regimen uel administratio eorum, non est, primatus aut potestas, ceterum seruitus & ministerium, neq; enim uel  
altiores,

altiores, uel meliores cæteris sunt Christianis. Quare nec legem neq; statuta super alios, absq; illorum uoluntate et licentia, condere debent, uerum eorum regimen aliud nihil est, quàm Dei nunciare tractareq; **VERBUM**, eoq; Christianos regere, ac Hæresim demoliri. Nam uti recitatum est Christiani, nisi solo uerbi gubernaculo regi non possunt. Quandoquidem non operibus, sed fide illos regi oporteat. Fides autem non ex operibus, sed ex **VERBO** Dei prouenire modo potest. D. Paulo Rom. 3. confirmante. Fides ex auditu. Auditus autem per uerbum Christi. Itaq; increduli, Christiani non sunt, neq; ad Christi, sed Mundi, regnum attinent, ut gladio externaq; administratione, cogantur & gubernentur.

Christiani suapte sponte, uel nemine cogente, nihil non boni perficiunt, cõtenti pro sese ipsi, solo Dei **VERBO**. De qua re tamen aliàs saepe scripsi.

Tertia

ipsi Ch  
lint, f  
mnino  
ram de  
Princi  
tem ex  
rem ex  
uel nat  
lis fact  
tant, i  
se cupi  
cesse e  
ledicta  
in usur  
dicta o

## TERTIA PARS.

QUOMODO PRINCEPS, QUI  
CHRISTIANVS ESSE VELIT,  
IN ADMINISTRANDO  
GLADIO SE GERERE  
RE DEBEAT.

**I**AM locus postulat, ut, posteaquam nouimus, quàm longè latèque uires extendat suas potestas, ostendamus etiam, quomodo ad hanc ipsam instituere se debeat Princeps, eorum gratia, qui & ipsi Christiani, uel Principes, uel Domini libenter esse uelint, futuramque patriam intrare cogitent, quorum omnino minima pars est. CHRISTVS enim ipse naturam describit mundanorum Principum, quom ait Luc. 22. Principes gentium, dominantur earum, & qui potestatem exercent super eas, benefici uocantur, uiolenterque rem exequentur suam. Nam haud secus arbitrantur, ubi uel nati, uel electi sint ad Regnum, quàm quòd copia sit illis facta, datumque ius, ut sibi seruitutem exhiberi permittant, ipsique ui dominantur. Atqui si quis Christianus esse cupiat ex animo, is hanc opinionem amoueat à sese necesse est: nempe, ut ui rerum habenas moderari uelit. Maledicta enim & gehennæ addicta est uita, quaecumque sibi in usum & compendium & uiuitur & queritur. Maledicta opera, quaecumque ex charitate non progrediuntur.

D *tum*

M. LVTH. DE SVBLIMIORE

Tum uero ex charitate progrediuntur, dum non ad suam ipsorum uoluptatem, commoditatem, honorem, securitatem & salutem, sed aliorum usum, honorem & salutem ex animo ordinata sunt.

Quare hic nullam rerum mundanarum aut statutorum eminentioris potestatis mentionem faciam: est enim ampla ualde ista materies, quæ et nimis multis Iuriscōsultorum uoluminibus comprehensa est. Quanquam si Princeps non prudentior sit ipse suis Iurisperitis, ille administrabit officium suum, iuxta id, quod scriptum est Prouerbiorum. 28. Princeps cui deest prudentia, haud raro iniuria suppressitur. Quantumuis enim æqua & iusta sint iura, omnia tamen id exemptionis admittunt, ut contra necessitatem urgere nequeant. Quocirca tam opus est Principi, iura in sua tenere manu, quam gladium, atq; sua cum ratione metiri illum decet, quando, & quomodo, pro rigore & Epiccã, sit utendum iure: ut ita nunquam non super omnia iura regnet, summum ius conseruet, totius denique iuris magistra perseueret ratio. Quemadmodum in patrefamiliã perspicuum fit: quoi, tamen si stata sint tempora & modus super domus suæ, liberorumq; tum labore, tum cibo, opus est iuxta, ut eiusmodi statuta in sua conseruet potestate, ut mutare uel mitigare possit, si quando contingat familiam eius aduersa ualitudine laborare, in carcerem compingi, contineri, uel aliãs impediri, nec æquo super ægrotos, atque sanos iure feratur. Atque hæc eò pertinent, ut ne quisquam arbitretur sufficientem ac pretiosam

sam

sam rem esse, ubi literis mandato iuri, uel iurisconsulto-  
rum consilijs obtemperetur. Plura enim ad hoc requirun-  
tur. Quid ergo faciendum Principi, si ipse non adeo pri-  
dens sit, ut cum iurisconsultis, tum horum uoluminibus ca-  
rere queat, sed eum ijs gubernari necesse sit: Respondeo:  
Ideo Principum statum periculis obnoxium dixi multis.  
Nam ubi non ea fuerit sapientia præditus, ut & iura sua,  
& que consilijs suos ipse gubernet princeps, tū fit iuxta hoc  
quod Solomon ait: Væ terræ, cui puer in Regem præfe-  
ctus est. Quod ipsum & Salomon agnoscens, de suo to-  
to iure, etiam à Mose sibi diuinitus præscripto, despera-  
bat: de cunctis etiam Principibus & Senatoribus suis, at-  
que ad Deum se uertens, ipsum rogabat pro corde intelli-  
genti, quo populum regere feliciter posset. Huic exem-  
plo conformem fieri Principem oportet, ut in timore am-  
bulet, neque uel mortuis libris, uel uiuis capitibus fidat, cæ-  
terum uni Deo innitatur, in auribus eius recubet, orētque  
pro uero intellectu omnium tum librorum, tum Magistro-  
rum, subditos suos rectius gubernandi. Nullum itaque  
ius præscribere Principi possum, uerum cor modo ipsi-  
us erudiam, nempe quomodo id animatum instructumque  
oporteat, in omni iure, consilijs, iudicijs & causis, ut si se-  
cundum hæc gesserit sese, donaturus illi sit certe Deus, ut  
omnium iurium siue consilia, siue causas recte expediat.

Primum ad subditos suos, oculos illum defigere, eoque  
cor probe instituere necesse est. Id contingit, si omnes su-  
as uires eò ordinarit, ut illis commodent & obsequantur,

D 2 neque



M. LVTH. DE SVBLIMIORE

neque ita apud sese cogitet: Et solum & incolæ mei sunt  
curis, uoluptatem deliciasque meas in illis complebo, factam  
am quicquid animo mihi sederit. Enimuero hæc in animu  
mum inducat: Ego sum terræ populiq; sub iure consti  
tutus, itaque me perficere opus est, quod utriq; commo  
det, salutareq; sit. Nec quærendum est mihi, ut in alio  
ribus incedam, ac dominer, cæterum, ut illi bona pace des  
fendantur ac protegantur. Præterea Christum ante com  
spectum suum statuens, ita dicat: Ecce Christus Princi  
pum summus, ut mihi obsequundaretur, uenit, nec pote  
statem, res, honores, ex me quæsiuit sibi: ad meam uero  
necessitatem respexit, seque totum in hoc impendit, ut mi  
hi potestas, facultas, & honor, in ipso & per ipsum ex  
peteret. Itidem ego faciam, non quæ mea in subditis me  
is, sed quæ illorum sunt, quæram, illisq; meo offitio in ser  
uiam, protegam, audiam, atque defendam: ac in hoc solum  
regnabo, ut illi commodum bonaq; inde recipiant, non es  
go: ut sic à sua potestate & dominatu in corde se alienet  
Princeps, dein subditorum suorum necessitatem & penu  
riam, ita suscipiat & tractet, tanquam seipsum attingat.

At, quis tum Princeps esse uelit? inquis. Hac ratio  
ne Principum conditio omnium in terris longe miser  
rima foret, cui multum doloris, laboris, & nausæ insit.  
Vbi tum eorum oblectationes in choris, uenationibus, cur  
su equestri, lusu, & hoc genus alijs mundi uoluptatibus,  
manerent? Respondeo: iam non docemus, ut mundi hu  
ius Princeps uitam transigere debeat, sed qua nam ratio  
ne

M

ne Chri  
Princip  
dico, qu  
terum,  
ingred  
quatur  
VER  
Princip  
re nece  
possibil  
rum sit  
ne ador  
cursus i  
offitiu  
rus ade  
dum in  
si pro s  
gerere  
natus it  
benda  
2  
nention  
lum cor  
doquid  
olims lo  
nandus  
sit, und

ne Christum induens transcendat caelos. Ecquis ignorat Principem, serinam esse carnem in caelis? Nec ideo haec dico, quod sperem grata fore mundanis Principibus, caeterum, si quispiam foret, qui tum Christum, tum iter, quod ingredi debeat, cupidius scire laboret, ut is habeat, quod sequatur. Est enim apud me certissimum, non fore, ut VERBUM DEI se dirigat aut inflectat ad mores Principum, quin potius istos VERBO sese attemperare necessum est. Satis mihi est, ubi indicauero, non esse impossibile Principi, ut Christianum agat: quanquam rarum sit admodum & difficile factu. Quod si hac ratione adornarent res suas, ut chorææ, uenationes, equestres cursus illorum, citra subditorum fierent detrimentum, ac officium erga eos suum è charitate administrarent, non durus adeo futurus esset DEVS, ut Choræas, Circēsemq; ludum inuideret eis, Verum hæc ex sese ipsi belle discerent, si pro suo officio subditorum suorum aliquam inciperent gerere curam: non paucas Choræas, easq; periucundas, uenatus item, cursus equestres, & lusus, omnino posthabenda esse.

. 2. Ut aduertat animum ad Senatus sui præeminentiores, seseq; in hunc modum erga illos gerat, ut nullum contemnat, ac nulli fidat, ceu salutis suæ anchoræ, quã doquidem utrunq; DEVS ferre non possit. Per asinam olim loquutus est: nemo ergo, utut abiectus fuerit, aspernandus est. E diuerso Archangelum è caelis decidere admisit, unde nulli hominum fidendum est, ut ut prudens, san-

Etus & magnus fiet. At quilibet audiendus, expectandum  
que, quid per quem loqui aut operari uelit Deus. Hoc enim  
omnium in aulis maximum damnum est, si Principis intel-  
lectus à Magnatibus suis, adeoq; adulatoribus captiuus du-  
catur, nec ab ipso canantur excubiæ, quòd non unum at-  
tingat hominem, siue delictum, siue stultitia Principis, sed  
quòd terras, indigenasq; istius commissaluerè oporteat.  
Quare potentibus suis ita fidat, ita operari illos sinat, ut  
frenatamen in manu sibi Princeps retineat, nec securus  
in utranq; indormiat aurem, quod & apud Homerum ea-  
legantissime, Iliad. 6. Somnus Deus Agamemnonem do-  
cet, dum inquit:

Οὐ χεὶ πᾶννύχιον βουλκφόρον ἔυδ' ἄνδρα  
ἦ λαοὶ ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμλε,  
Sed uigilanter (Iosaphat exemplo) terram apparet, circa  
cumq; circa exploret, & uideat, quomodo & regatur &  
iudicetur. Sic fiet tandem, ut experiatur ipse, quàm ne-  
mini prorsum fidendum sit. Nec est quod cogites, alium  
tui, patriæq; solitudine, æque ac te angi, ni integer spiri-  
tu Christianus sit. Homo ψυχικός, id sanè non facit.  
Quom ergo non sit exploratum tibi, an Christianus sit,  
uel, quamdiu talis permaneat, neque illi fidere, nec dede-  
re te illi potes.

Ab ijs uero potissimum te serua, qui in hanc sententi-  
am prorumpunt. Eia clementissime Heros, non maior cum  
hac, mihi fidem adhibet C. V.? Ecquis C. V. inseruiet? Is  
enim certissime syncerus non est, dominari terræ cupiens,



te in Cyrces bestiam quandam, ceu Vlyssæum socium, si Moly desit, transformato. Nam si integre & candidè Christianus esset, æquo, te illo non fidere, animo laturus, ac ideo te commendaturus esset, ac amore demum profecuturus, quod adeo uigilanter illi aduertas animum. Quem admodum enim sancte et pie agit, sic uult & potest ferre, ut opera sua, tibi, & cuiuis in aprico sint constituta, secundum id, quod Christus ait Iohan. 8. Qui bonum operatur, ad lucem uenit, ut uideatur opera eius, quòd in Deo facta sint. Alter uero te effascinare, inquit tenebris agere, conatur, ut & Christus eodem loci ait: Qui malum operatur, fugit lucem, ne opera eius multentur: ab eo caueas ergo tibi: hoc si eum male habeat, dicas: O noster, tecum non iniuste ago. Deus optimus maximus non uult, ut uel mihi ipsi, uel ulli mortalium fidam. Illi succenseas, quòd hæc à me poscat, nec te plus, quàm hominem condiderit. Quanquam si uel Angelus esses, quom & Lucifero non fidendum erat, nec sic tibi omnino fiderem. Deo enim soli fidendum est.

1. Nemo quisquam Principū in animum unquam inducat suum, meliora sibi euentura, quàm Dauidi, cunctorum Principum typo. Illi tantus Senator erat, cui nomen Achitophelo, ut Scriptura dicat, perinde ualuisse, quicquid consilij dedisset Achitophelus, ac si Deus optimus ipse oraculum ædidisset. Eò tamen ferebatur, ut Dominum suum Dauidem prodere, occidere ac delere tandem illi animus esset. Quo discere tum Dauid pulchre cogebatur, ut

D 4 nullo

M. LVTH. DE SVBLIMIORE

nullo mortalium fidendum sit. Quor putas Deum permisisse, ut id horrendum exemplum eueniret, ac posteris mandaretur, nisi ut Principes & Heroes maximi sui infortunij admoneret: nempe quod nemini fidant? Res enim omnino commiseranda est, ubi in aulis adultores sceptro potiantur, uel Princeps in alios fiduciam collocet, seq; captiuum dedat, quemuis, pro arbitrio, quicquid perpetrare sinens.

Si obijcis, Postquam nemini fidendum est, quibus ergo terræ populiq; gubernaculis regentur? Respondeo: Demandare rem tuam & aleam, ( ut est in trito prouerbio ) iacere debes, confidere autem, ac totum, præterquam soli Deo, te dedere nulli debes. Offitium tuum omnino alicui demandandum est, audendumq; sed non amplius fidendum, quàm illi qui deficere possit, aduigilandūq; porrò tibi, nec dormitandum est. Quemadmodum auriga, equis quos urget & currui suo fidit: uerum non ex sese progredi finit, habenas ac flagrum in somnis manibus suis continens. Atque hic antiqua ne obliuiscaris adagi, quæ procul dubio ipsa docuit experientia, nec absona uero esse queunt. Oculi Regis impinguat equos. Et, Heri uestigia belle stercoerant agrum. Hoc est: Vbi dominus non ipse rebus suis prospicit, sed eas modo Senatoribus & ministris suis demandat, illisq; fidit, nunquã feliciter cadunt: id uero Deus sic ordinat & admittit, ut necessario cogantur domini suæ ipsorum offitia exequi, ut quemlibet suam uocationem, & omnem creaturã, sua item opera administrare oporteat,  
alioqui

alioqui sues bene pasta, cōsumendis frugibus idonea, quae nisi sibi ipsis, nemini commodant, ex Dominis fiunt.

3. Ut uideat, quomodo cū fontibus recte agat. Hic enim prudentē impendio & sapientē esse oportet, ne cū punitie aliorū puniat. Nec iterum hic melius exemplū noui, quān Dauidis: dux erat huic exercitus Ioáb, q̄ pessima duo facinora cōmittebat, p̄ proditionē & insidias, duos bonos uiros occidēs, quo bis insigniter mortē erat meritus, neq; tamē se uiuo occidebat istū, sed gnato suo Solomōi hoc ipsum cōmendabat: haud dubie ob eā causam, q̄ sine maiori incōmodo ac seditiōe ipse p̄agere non potuerit. Sic & p̄iceps, scelerosum punire debet, ne subleuās coclear paropsidē p̄terat, et unius capitis gratia, terras populosq; in discrimē uenire cogat, & suā ditionem uiduis & orphanis repleat. Quare opus est, ut nō sequatur suos à cōsilijs et ferri deuoratores, q̄ eum excitāt et irritant ad belligerandū, dicētes: Eia, taliāne uerba & iniuriā pateremur? Parum omnino Christianus est, q̄ ob unam arcē totam ditionē periculo exponit. Breuiter, hic uniformē te fieri oportet illi apothegmati: Qui cōniuere nō potest, nec regere potest. Quare hic esto canon eius. Vbi iniuriā absq; maiore iniuria punire neq; ius suū dimittat, ut maxime iustum sit, quom non suum damnum, sed aliorum incommodum reputare debeat secum, quod ob suam iniuriam accepturi sunt. Quid tot mulieres & puelli deliquerunt, ut uiduae & orphani fieri cogantur, quo tuam ulciscaris tantum iniuriam, ab impudenti ore, uel nocente manu illatam tibi?

D S Rursum

M. LVTH. DE SVBLIMIORE

Rursum dicis: Princeps ergo non belligerabitur? subditi eius nō ad bella sequentur eū? Respondeo: Ampli-  
nis quæstio hæc est: at tamen breuissimis expediã. Et prin-  
cipio, ut hic Christiane agatur, adfirmo, nulli Principum,  
aduersus Superiorem suū, ueluti Regem, aut Cæsarem, uel  
aliàs dominū suum, à quo bona locata suscipit, bellandū es-  
se, sed etiã depraedanti cædendū. Nam sublimiori potesta-  
ti nō est resistendū ui, sed cognitiōe ueritatis, quã si recipi-  
unt, bene est, sin minus, excusatus es, & iniuria Dei nomi-  
ne adfligeris. Atqui si aduersarius est equalis tibi, uel infe-  
rior te, uel etiã alieni magistratus, primus ei ius & pacem  
annunciare debes, quemadmodū & Mose Israëlitas docu-  
it: si utrumq; reiicit, cogitatecū qd'optimum est, et ui con-  
tra uim, te defensa, p̄inde atq; Mose hæc omnia elegantissi-  
me describit, Deut. 20. Atq; in hoc uidendū est tibi, non ut  
tu, cū dominatu tuo permaneas, sed ut subditos tuos, quib-  
p̄tectionem & opem debes, ab hoste defendas, ut huiusmo-  
di opus ex charitate procedat. Quom enim uniuersa ditio  
tua in discrimen posita sit, piculum faciundum tibi est, si  
Deus te iuuare uelit, ne tota pereat. Quòd si non p̄hibere  
potes, ut nō aliquot inde uiduæ & orphani fiant, p̄hibere  
tamen te necesse est, ne tota re p̄uente, omnes uiduæ & or-  
phani fiant. Porrò hic subditi obligati sunt nedū obtempa-  
re, uerum etiam, uitam & facultatem eò impendere. Nam  
in tali causa, alter pro altero uitam suam & bona periculo  
exponere opus habet. Atq; in huiusmodi prælio Christia-  
num est, opusque charitatis, egregie interficere hostes,  
p̄redari

prædari et urere, et quicquid noxium est, agere, donec miluæ ritu uincantur: nisi quòd summopere cauendum est, ne mulieres & uirgines uitentur. Victis supplicibus, ac gratiam efflagitantibus, gratia & pax exhibenda est. Vt ita locum hic habeat, quod aiunt, fortiozem Deus iuuat, quo pacto et Abrahamus egit quatuor cæsis regibus Gene. 14. in qua clade non dubium est, quin multos occiderit, & paucis admodum gratiam exhibuerit. Huiusmodi enim casus, ceu à Deo adlegatus, æstimandus est, quo semel ditionem purget & scelestos à patriæ finibus arceat.

Quid uero, si Princeps iniustam tueretur causam, adhuc illi subditi morem gerere debebunt? Respondeo. Nihil minus. Aduersum Ius enim nemini quicquã agendum est, Deo autẽ, qui ius poscit, quàm hominibus, plus morem geri oportet. Quid si nescirent subditi, num iustam uel iniustam habeat causam? Respondeo. Quandoquidem ignorant, nec data opera rescire possunt, in hoc euentu lege Mosis utendum est Exod. 21. ubi scribit, quomodo homicida, qui inuitus per ignorantiam, quempiam occiderit, fuga ad liberam ciuitatem salutis suæ consulat. Nam utra pars ceditur, siue iustam siue iniustam habeat causam, suscipere cædẽ pro diuinitus inflicta pœna opus habet. Vtra autem cedit & uincit, in tali ignorantia, cladem suam æque faciat oportet, atq; si quisquam à tectò decidens aliũ quendam occidat. Deoq; causam dedere. Nam Deo idem est, siue per iustũ, uel iniustum dominum bona & corpus adimat. Creatura eius es, pro suo

benc

beneplacito tecū agere potest, si modo conscientia tua innoxia sit. Ad hunc modū Abimelechū exusabat ipse Deus Gene. 20. quod Abrahamo uxorē ui abstulerat, nō qd' bene ideo fecerit sed q' ignorarit, cā esse Abrahami uxorē.

4. Quod primū sanè debeat esse, de quo & in superioribus diximus. Principi curæ sit, ut se Christiane etiam coram Deo suo gerat, hoc est, illi subijciat se, & pro sapientia roget populum suum bene gubernandi, Solomonis exemplo. De fide autē & confidentia in Deum aliās tam multa conscripsi, ut hic non locus sit de ijs quicquam ultra cōmemorare, quare hic sistentes gradum summam concludimus. Quod princeps quadruplici uia se partiri debeat. Primum ad Deum uera cōfidentia, & intima spiritus oratione. Dein ad suos subditos amore & Christiano obsequio. Subinde ad senatores suos subtili ratione, liberoq; intellectu. Ad ultimum, ad fontes rationabili seueritate & rigore. Sic demum status eius interne & externe recte progreditur cū deo tum hominibus bene placēs. At illū expectare oportet, quod multam inde inuidiam sibi accumulēt. Crux enim tali instituto ilico aderit.

Postremo auctarij uice & ijs hoc loci respondendum est mihi, qui de restitutione iniuria ablatorū disputant. Ipse enim cōmune gladij opus est, & multa de eo scribenda forent, in quo nimis effera acrimonia inquiritur. Ego uero omnia in unum fascem cōplectar, omneisq; leges & acrimonias super hac re natas semel deglutiam, in hunc modum. Nulla hic reperiri certior lex potest, una charita-

tis

tis lege. Primū sitalis causa ad te delata fuerit, in qua al-  
 ter ab altero ablatū sibi restitui poscit: Si uterq; Christia-  
 nus est, res statim plana est. Neuter enim alteri quod eius  
 est retinebit. Sin alter Christianus est, putatis, cui restitu-  
 tio fieri debet, res iterū statim plana est, siquidem nō mul-  
 tum curat, etiam si dum mulæ pepererint receperit. Hac  
 ratione si, qui reddere debet, Christianus etiā silicet caus-  
 se consultum est reddet enim omnino. Proinde siue Chri-  
 stianus sit quisquā siue nō Christianus, ita de restitutione  
 iudices. Si debitor pauper est nec habet unde reddat, al-  
 ter uero diues. Hic libere charitatis lege uti potes, senten-  
 tiā ferre, nā alter adhuc eitā charitatis legi debet, ut huic,  
 si necessitas postulet, condonet debitum. Sin uero debitor  
 non fuerit inops, age ut restituat, quantum potest, siue to-  
 tum siue dimidiatum, tertiam uel quartam partem, ut illi  
 tamen adhuc licitam & honestam dimittas domum, ui-  
 elum & tegumentum, pro se, uxore & liberis. Tale enī  
 si in uiribus tuis esset, deberes illi, tantū abest, ut adimere  
 illi uelis, ubi tu nō indigeas, nec is huius expers esse possit.

Quod si uterq; Christianus nō est, uel alter non uult  
 admittese charitatis iuditiū, illos, ut alium quærant iudi-  
 cem dimittere potes, eiq; simul dicere, quod etiam si apud  
 homines rigidam seueritatem adsequantur, attamen diui-  
 næ naturæq; legi contraueniant. Quod natura doceat,  
 ut charitatis est indoles, ut alteri, quod mihi fieri uelim,  
 faciam. Quare neminem denudare possum, quantumuis  
 iustam inter causam, quom ipse nollē ita denudatus esse,

Verū

## M. LVTH. DE SVBLIMIORE

Verum ut ego optarim, ut suum in me ius alter condona-  
ret mihi, in tali euentu, sic & à meo alienum esse iure me  
item oportet. Sic & cū omni iniusta facultate agendum  
est, siue occulta siue manifesta sit, ut semper Charitas et  
Naturæ lex in sublimi ferantur & motent sese. Si enim  
iuxta charitatem iudicaueris, facile omnem complanaris  
causam, recteque & placide cōpones litem, absque omnibus  
Iurisperitorum uoluminib. Quod si procul ab oculis tuis  
Charitatis et naturæ iura dimoueris, nunquam expedies  
ita ut placeat Deo, etiamsi omnes Iuriū codices una cum  
Iuristis deuoraris, uerū quo intensiorem illis adhibueris  
animum & cogitationem, hoc te maiore errore intrica-  
bunt. Veram iudicij sententiam ut non possibile est, sic  
non oportet, ex libris ferri aut pronuciari, cæterum ex  
libera ratione, ceu nullus esset liber, oriri. Atqui eiusmodi  
libera iudicia Charitas & lex naturæ, cuius omnis ratio  
plena est, profert. E libris aut arcta, intensa, nutantiaque  
iudicia ueniunt, cuius rei insigne producam in lucem ex-  
emplum.

## DE CAROLO BVRGVNDIAE

duce talis narratur historia.

Nobilis quispiam captum hostem in carcerem com-  
pegit. Venit uxor capti, orans ut liberetur. Nobilis polli-  
cetur libere dimissurum se maritum, modo secum antea  
concumbat. Mulier et si pudica, maximopere tamen libe-  
rum esse cupiēs maritum, abit, interrogat eum nū id sibi  
faciunt



faciendum sit. Maritus redimi & suam adseruare uitam  
studens concessit id uxori. Quicū nobilis ubi concubuis=  
set, postero die capite obtruncatum maritum reddidit.  
Hoc totum uero Carolo duci conquerebatur uxor, porrò  
is accito nobili imperabat, ut illam connubio sibi iunge=  
ret, finitis nuptijs, mox nobilem quoq; capite obtruncari  
curauit, ipsam uero super huius bona constituit, scelestū  
ita facinus, ut principe dignum erat, multans.

Ecce talem sententiam nullus Papa, nullus Iurisperi=  
tus, nullus item liber ferre illi potuisset, cæterum è libera  
ratione supra omnia omnium codicum iura scaturijt,  
adeo pulchre, ut quiuis probare cogatur sua cuius=  
q; conscientia testante, ita æquum esse oportere.

Huius simile quiddam habet Augustinus in ser  
mone domini in mōte. Quocirca, positum  
scriptū ue ius sub ratione seruari dignū  
erat, ex qua, ceu fonte suo mana=  
runt, nec fontem, ad riuulos suos  
ligari, nec rationem literarū  
elementis captiuam  
duci cōueniebat.

F I N I S .

---

A N N O M . D . X X V .

1111  
MAY 01 1871

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.



Ms 3772

(X222/B23)



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

